

Pembroke 25 Sermo 1 (fols 3r–5v)

INCIPIT OMELIA . IN QUARTA DOMINICA ANTE NATALE DOMINI .  
PRIMUM OMNIVM . OPORTET NOS

memorari fratres karissimi et recitare de deo ueraciter et loqui  
caeli ac terrae conditore . et omnium quę in eis sunt . quem tri-  
num in personis credere debemus . Alia est enim persona patris .  
Alia filii ; Alia spiritus sancti ; Et unum in maiestate . et in potestate  
et diuinitate confiteri . Deus est enim pater . deus filius . deus et spiritus sanctus .  
Non tres tamen deprōmimus . sed unum deum dicimus . et fatemur .  
Quia in hac trinitate nihil prius aut posterius ; Nihil maius  
aut minus . sed totę tres personę . coeternę sibi sunt . et coaequales .  
Decet nos igitur . narrare primum de eo et loqui ; quia ipse fecit  
nos cum non essemus ; Ad ímaginem et similitudinem suam .  
Ad imaginem . idem in ęternitatem . quia sicut ille æternus . est . sine  
fine ; Ita nos secundum interiorem hominem conditi sumus . habentes  
ínitium sine fine . Anima enim nostra . creatura dei perpes est . ha-  
bens initium `et´ nullum finem . Ad similitudinem . hoc est precepta  
eius sectando in moribus . et mandata illius ímplendo . sicut  
saluator ait . Hoc est preceptum meum . ut diligatis inuicem .  
sicut dilexi uos . Et iterum . Si quis diligit me . mandata mea  
custodit . Ipse est ergo principium sine ínitio . et finis absque  
defectione . sicut ín aeuangelio scriptum est . Ego sum alfa  
et ω ; primus et nouissimus . et stella matutina . Ego clauis  
Dauid . sicut alibi scriptum est . O clauis dauid . et sceptrum  
domus Israel . qui áperis et nemo claudit . claudis et nemo  
aperit . Ipse est igitur qui caelorum continet thronos et abys-  
sos intuetur . Ipse est rex regum . et dominus dominantium . Ipse  
montes ponderat . terram palmo concludit . cuius pugillo  
potest orbis concludi . In cuius uoluntatę . uniuersa sunt

/3v/ posita . et non est . qui possit resistere uoluntati eius . Ipse enim fecit omnia . caelum et terram . et uniuersa quae caeli ac terrę ambitu continentur . Ipse `est` dominus uniuersorum . cęlestium . terrestrium . et infernorum . A quo omnia . per quem omnia . In quo omnia facta sunt . uisibilia et inuisibilia . quę nullus mortaliū per omnia edicere ualet . Illud quoque scire et intellegere . et in animo nostro frequenter ponere debemus . quod ante aduentum domini nostri saluatoris in carne . diabolus regnabat in mundo . et omnes populi . peccatores et iusti . patriarchę et prophetę . ut a corpore exhibant . in infernum descendere propter originalia adae peccata cogebantur . pro eo quod in paradiso . transgressus est mandatum dei . De quo praeceperat illi dicens . Ex omni ligno autem scientiae boni et mali ne comedas . In quocumque enim die comederis ex eo ; morte morieris . Haec autem eo non custodiente . statim ut comedit . stola nudatus immortalitatis . et miser factus . a paradiso eiectus est . Sicut scriptum est . Quandiu enim abstinuit . mansit in paradiso . ut autem manducauit . statim expulsus est . Factum est ergo omne tempus . quo uixit adam in labore . et erumna super terram anni dcccc . xxx . et mortuus est . et descendit in infernum et omne humanum<sup>1</sup> genus post ipsum propter illius peccatum . Sed quando uidit deus quod totus mundus periret per inuidiam diaboli . per eius enim inuidiam mors subintrauit in orbem terrarum . misertus est generi humano . et mittere uoluit unicum filium suum in mundum . et nasci ex uirgine sine uiro intacta . ut electos qui in inferno sub debito preuaricationis /4r/ adae tenebantur ; a captiuitate diaboli liberaret . et ad regnum secum duceret æternum . et ad integram quam primi

---

<sup>1</sup> humanum] *corr. from* humane

parentis peccato perdidit immortalitatem . et in societate semper gauderet postea angelorum . Prophetę igitur predicauerunt nasci Saluatorem ex uirgine . et uenire in mundum . Isaias quidem dicit . Dabit dominus deus . mirabile uobis signum . Ecce uirgo concipiet . Ac si dixisset . sine uirili coitu . Et pariet filium . id est sine dolore . Et uocabitur nomen eius emmanuel . id est ebraice . quod latine interpretatur nobiscum deus . Et iterum dicit . Egredietur uirga . de radice iesse . et flos de radice eius ascendet . et requiescet super eum spiritus domini . spiritus sapientię et intellectus . spiritus consilii et fortitudinis . spiritus scientię et pietatis et replebit eum spiritus timoris domini . Flos de uirga ascendens . Christus est de sanctę marię utero ueniens . siue uirginitatis detrimento . de genere iesse patris dauid orte . super quem septiformis spiritus domini . in omni plenitudine diuinitatis . æternaliter requiescit . Sicut iohannes baptista testimonium perhibuit de ipso dicens . Uidi spiritum sanctum quasi columbam de caelo uenientem . et mansit super eum . Et ego uidi et testimonium perhibui . quia hic est filius dei . Iste septiformis spiritus . qui in patriarchis diuisus . est ; Adunatus quidem . in Christo permansit . Igitur in adam spiritus sapientię fuit . quia ipse . omnium creaturarum . quę caeli ac terrę ambitu concluduntur . naturas et rationes agnouit . et ideo singulis secundum proprias naturas . nomina imposuit . Spiritus intellectus . fuit in noe ; qui solus intellexit cum sua familia . prę omnibus bonum esse . deo credere . et ei oboedire . Et ideo dum mundus periit ; arcam meruit fabricare . ad saluandum se cataclismi tempore ; /4v/ et familiam eius totam . Spiritus consilii fuit in abraham . qui consilio domini creatoris sui obtemperans . fide plenus . exiit de terra sua et de cognatione sua . et de domo patris sui . perigrinare in terram . quam filii feminis sui . erant a domino in hereditatem accepturi . Qui ob fidei meritum . amicus dei appellari meruit .

Spiritus fortitudinis fuit in isaac . qui forti animo iniurias alienigenarum uincebat . Et ideo uiuam meruit inuenire aquam et centenos sui seminis accipere fructus . Spiritus scientiæ . fuit in iacob ; qui prescruit bonum esse . primogenita a fratre suo emere et paternam accipere benedictionem . et fraternum declinare odium . et iniurioso socero laban fidelem esse ; quapropter cum filiis et familia multa . et grege innumerato . diues et honoratus reuersus est ad patriam . Spiritus pietatus . fuit in Moÿse . qui pro populo peccante etiam et se lapidante ; orauit ad dominum dicens . Domine dimitte huic populo peccatum suum . sicut autem . dele me de libro quem scripsisti . Qua pietate . et populo ueniam impetrauit . et sibi apud deum . plus aliis sanctis maiorem familiaritatem promeruit . Ita . ut colloquia dei frequenter habere . et uerba legis ex ore eius accipere meretur . Spiritus timoris domini fuit in dauid ; qui se persequenti regi saul . et in suas uenienti manus . pepercit dicens . Absit a me . ut manus meas mittam in Christum domini . Idcirco quia ei pepercit . allophilorum gladio illo pereunte . regnum a deo sibi donatum . et promissionem accipere . ut pater Christi uenturi esset meruit . Hęc omnia carismata spiritus sancti septiformis . In Christo Iesu aeternaliter permansuerunt . qui fons est . et origo illorum . Dei sapientia et dei uirtus . De quo propheta dicit . Ueni domine uisitare nos in pace . ut letemur coram te corde perfecto . Et alius dicit . Veniet dominus /5r/ et non tardabit . et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit se ad omnes gentes . Et iterum . Qui uenturus est ueniet et non tardabit . Iam non erit timor in finibus nostris quoniam ipse est saluator noster . Et alio loco dicitur . Prope est ut ueniat tempus eius . et dies eius non elongabuntur . Miserebitur dominus iacob . et israel saluabitur . Et iterum . Ecce ueniet dominus et omnes sancti eius cum eo . et erit in die illa lux magna . Sicut de illo alibi scriptum est . Ecce nomen domini uenit de longinquo . et claritas eius replet orbem terrarum .

De quo iterum propheta dicit . Aspiciens a longe . ecce uideo dei potentiam uenientem . et nebulam totam terram tegentem . Ite obuiam ei et dicite . nuntia nobis si tu es ipse . qui regnaturus es in populo israel . Quod plenius alius propheta reuelat dicens . Aspiciebam in uisu noctis . et ecce in nubibus caeli filius hominis uenit . et datum est ei regnum et honor . et omnis populus . tribus . et lingue . seruiant ei . Sicut psalmista explanat dicens . Omnes gentes quascumque fecisti uenient . et adorabunt coram te domine et glorificabunt nomen tuum in æternum . Hoc idem per eundem prophetam spiritus sanctus hortatur et ammonet dicens . Iuuenes et uirgines . senes cum iunioribus laudent nomen domini . quia exaltatum est nomen eius solius . quod est mirabile in caelo et in terra . Ecce nunc tempus adest fratres karissimi . in quo nos omnes unanimiter oportet laudare nomen dei et gaudere in domino . paulo apostolo dicente . Gaudete in domino semper . Iterum dico gaudete . Modestia uestra nota sit omnibus hominibus . dominus enim prope est . Sobrie ergo et iuste . pie et caste . uiuere debemus ; Scientes . quia hora est iam nos de pigritiae somno surgere . et ad uigilandi solertiam conuenire . Dum expectamus beatam spem et aduentum nostri dei et saluatoris mundi . Non in commensationibus et ebrietatibus /5v/ non in scurilitatibus et iocis . et uanitatibus huius mundi . sollempnitatem natiuitatis filii dei . sed in sobrietate et humilitate et sanctitate . cum recta fide et certa spe et perfecta caritate . nos oportet expectare . Ut digni efficiamur accedere ad percipiendum sacrosanctum corpus et sanguinem domini nostri Iesu Christi . in die natalis sui . quia nemo quidem christianorum hoc debet neglegere . eodem domino dicente . nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem . non habebitis uitam in uobis . Cum pura ergo conscientia et immaculato corpore et mundo corde . unusquisque hoc studeat accipere . prestante eodem nostro saluatore . qui cum patre et spiritu sancto uiuit

et regnat in aeternum sine fine . per omnia secula seculorum . Amen.